

The page is framed by a highly decorative border. At the top, two winged cherubs (putti) stand on either side of a triangular pediment, holding a scroll. Below them are two tall, fluted columns. The columns are supported by a base where several more cherubs are depicted in various poses, some playing instruments. The entire border is filled with intricate floral and scrollwork patterns.

# PSAL

MORVM LIBER, AD  
Hebraicam ueritatem dili-  
gentissime ad uerbum  
serè tralatus,  
Felice Pratenſi interprete.

PRAETEREA, in ſingulos  
Pſalmos argumenta, per erudi-  
tum quendam Theologũ nuper  
adiecta: Cũ aliquot Sanctorum  
canticis, & preculis ſynceriori-  
bus.

ANDREAS CRATANDER

AD LECTOREM.

**T** Ametsi, quæ Christianos precari oporteat, unicæ  
breuiq; sua oratione IESVS CHRISTVS sa-  
tis copioseq; complexus fuerit: qua qui spiritu uerita-  
teq; patrem interpellarint, admodũ beati censendi sunt.  
At non illis felicitate inferiores, qui alia cantica & hy-  
mnos ( si tamen alia uocare licet ) eodem quo prophete  
primum spiritu, ut uel canant, uel quouis modo in medi-  
um afferant, impelluntur. Nam & de illis Apostolus mo-  
net: Docete & commonete uos inuicem cantionibus &  
laudibus & cantilenis spiritualibus, cum gratia canen-  
tes in corde uestro domino. In unũ enim redeunt & quæ  
CHRISTVS, & quæ illi tradiderunt. Modò non ad-  
sit ignauus precator, qui psallat spiritu, at non item men-  
te: quales perquam multos inuenies: quorum alij & pre-  
ces & cantilenas non admodum synceras in usu habent.  
Alios synceras quidem sortitos, interpretum moratur  
difficultas & obscuritas: quid si dicã, & imperitia? Ve-  
rum in hoc enchiridio, lector optime habes, ex Felicis  
interpretatione, ad Hebraicam ueritatem, oppido fi-  
deli, Dauidicos psalmos: quibus & alia sanctorum canti-  
ca, cum syncerioribus preculis accesserunt: quæ utpote  
nõ parum pietati tuæ adminiculatura studiosus quidam  
congeffit: teq; exhortatur & obsecrat, ut quoties in his  
diuersaris, inò te frequentem optat, cogites te DEO,

# PSALTERI

VM IVXTA HEBRAICAM VERITATEM, Felice Pratensi interprete: cum psalmorum argumentis, ab erudito quodam theologo nuper adiectis.

## ARGUMENTVM PSALMI I.

De differentia Christi, & impie synagoge. Et secundum quosdam, est ille psalmus omnium psalmorum proœmium: ideo caret titulo.

## PSALMVS I.



**B**eatus uir, qui non ambulauit in consilio impiorum, & in uia peccatorum non stetit, & in consessu irrisorum non sedit:

Quin potius in lege domini uoluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.

Et erit tanquam lignum plantatum secus riuulos aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo: & folium eius non defluet, & omne quod faciet prosperabitur.

Non sic impij, sed tanquam puluis quem agitabit uentus. Ideo non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in congregatione iustorum.

Quoniam nouit dominus uiam iustorum, & iter impiorum peribit.

## ORATIO SALOMONIS.

tentiam in corde suo in loco captiuitatis, & conuersi de-  
precati te fuerint in captiuitate sua, dicentes: Peccauius,  
iniquę egimus, impie gessimus: & reuersi fuerint ad te  
in uniuerso corde suo, & tota anima sua in terra inimi-  
corum suorum, ad quam captiui ducti fuerint, & oraue-  
rint te contra uiam terrę suę, quam dedisti patribus eo-  
rum, & ciuitatis quam elegisti, & templi quod ædifica-  
ui nomini tuo: exaudies in cœlo in firmamento solij tui  
orationes eorum, & preces eorum, & facies iudicium  
eorum: & propitiaberis populo tuo, qui peccauit tibi,  
& omnibus iniquitatibus eorũ, quibus præuaricati sũt  
in te: & dabis misericordiam coram eis qui eos capti-  
uos habuerint, ut misereãtur eis. Populus enim tuus est,  
& hæreditas tua, quos eduxisti de terra Aegypti, de me-  
dio fornacis ferreę, ut sint oculi tui aperti ad deprecatio-  
nẽ serui tui, & populi tui Israël, & exaudies eos in uni-  
uersis pro quibus inuocauerint te. Tu enim separasti eos  
tibi in hæreditatem de uniuersis populis terrę, sicut lo-  
cutus es per Moysen seruum tuum, quando eduxisti pa-  
tres nostros de terra Aegypti domine deus.

FINIS.

BASILEAE, APVD ANDREAM

CRATANDRVM, MENSE FE

BRVARIO, ANNO

M D XXIIII.

